

occasione, & quidem commodiori (si Deus vires, sanitatem, atque tempus concesserit;) reservo. Interim tamen extra agrum nostrum aliquando vagabor, quod saepius consulto feci, fodinarumque Salfeldensium mentionem faciam.

§. 2. AURUM, Metallorum optimum & pretiosissimum, in *Sala* flumine & *Schwarza* amne reperitur: *Reichmansdorffii* vero, qui pagus ultra milliare à Salfeldia distat, *ex monte eruitur*, & ex cunctis lapillis coquitur.

§. 3. *Aurum*, quod in *Sala* reperitur, statim suum est, vulgo gediegen Gold. Hoc aurum ex *Schwarza* cum fluente aqua in *Salam* delatum esse, multi credunt, quod Cap. III. §. II. pag. 26. monui. Nam testibus *Sylvestri à Lieben* in Manuscripto suo, *JO. GEORGIO KEYSERO, Med. Doct. Physico Salfeldensi, & Practico L. annorum, Amico meo optimo, ac me ipso,* Salfeldiæ in *Sala*, supra *Schwarzæ* in *Salam* influxum, aurum reperitur.

§. 4. Curiosa est *Sylvestri à Lieben* de auro in *Sala* historia, quam ex ejus Manuscripto huc transferam ubi *Lib. I. Cap. VIII. Aurifabri Veneti, Salfeldiæ in Sala flu-*